

Opinio Platonica – Aristotelis scientia [in margine]

Unde consequitur necessario Aristotelicas scientias vel nihil pro subiecto habere vel posterius quid: atque ita longe a Platonica scientia abesse, quam etiam intellectonem opinioni contrapositam agnoscit 7. Reipublicae Plato:³² *Et opinionem quidem circa generationem, intellectonem vero circa essentiam.* Unde sequitur Platonis opinionem esse Aristotelicam scientiam, quia haec versetur circa universale collectum ex singulis genitis.

Nec vero videtur scientia Aristotelica sibi constare, quia universale collectum, quod scientia dicitur, non recipit eam conditio-
10 nem, quam scientiae [318] attribuit saepe.³³ *Quod scientia quidem universalis est et pernecessaria, necessarium vero non contingit aliter habere.* Singularia autem et universale ex eis collectum nullam habet necessitatem. Quae conditio essentiis abstractis Platonicis magis competit: quia semper eodem se habent modo, quam vel generabilibus, quae universalia non sunt, vel universali collecto, quod necessarium non est et potest alias aliter se habere, quod manifeste indicat et diversitas sententiarum non solum differentium sectarum, sed eiusdem sectae philosophorum, qui aliter
15 atque aliter universale hoc ex singularibus colligunt et idem saepe vel scientissimus alias aliter colligit, quod mutatio et varietas et sententiarum et scriptorum arguit. Quae sane conditio opinioni convenit:³⁴ *infirma est*, ait: περὶ τὸ ἐνδεχόμενον καὶ ἄλλως ἔχειν – *Quod potest etiam aliter se habere versatur.*

25 Dialecticae Platonis et Aristotelis differentia [in margine]

De opinione ergo Plato et Aristoteles convenient, de scien-
tia non convenient. Illi scientia est entium verorum, sincerorum,

³² καὶ δόξαν μὲν περὶ γένεσιν, νόησιν δὲ περὶ οὐσίαν. [PLATO, R. 534.a.2 – 3]

³³ ὅτι μὲν ἐπιστήμη καθόλου καὶ δι' ἀναγκαίων, τὸ δ' ἀναγκαῖον οὐκ ἐνδέχεται ἄλλως ἔχειν. [ARIST. A Po. 88b.31 – 32]

³⁴ ή {τε} γὰρ δόξα ἀβέβαιον [ARIST. A Po. 89a.5 – 6]